


05

A

1940





DISPUTATIO PHY.

De

HOMINE.

Quam

DEO JUVANTE

In Patria Academia

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Præclarissimi Amplissimi atq; Excellentissimi

DN. JOHANNIS Sperlings/

Physici Longe Celebratissimi, nec non Amplis-
simi Collegij Philosophici hodie Decani ma-
xime Spectabilis.

Dn. Præceptoris, Patroni ac Promotoris sui
prono pectoris adfectu æternum observandi,
colendi, honorandi.

Publicæ Placidæq; Eruditorum

συνήνοσι exhibet

PAULUS PHILIPPUS RÖBERUS

Wittebergâ-Saxo.

Ad diem XXVIII. Martij.

In Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.

ANNO clc lvc LV.

55
Johanni Habertanz Scholæ
Senat. Rect. dignissimo.

ime Reverendis, Amplissimis, Praclarissimis atq; Excellentissimis

I. ANDREÆ KUNADO,
 SS. Theol. Doct. ejusdemq; in hac
 almâ Leucoreâ Prof. Publ. laudatis-
 simo, Consist. Eccles. Adessori gra-
 visimo, Alumnorum Elector. Epho-
 ro vigilantissimo, & h.t. Academiae
 Rectori Magnifico.

Dn. ABRAHAMO CALOVIO,
 SS. Theol. D.& Prof. Publ. eximio,
 Eccl. Witteb. Pastori & in circulo
 Electorali Superintendenti Generali
 celeberrimo, Synedrij Electoralis
 Ecclesiastici Adessori gravissimo, &
 Facultatis suæ j.t. Decano spectabi-
 lissimo.

Dn. JOHANNI Sperlingen/
 Philosopho eximio, Physices Prof.
 Publ. Celeberrimo, & in præsentis
 Collegii Philosophici Decano spe-
 ctatissimo.

Dn. AUGUSTO BUCHNERO,
 Oratori sæculi nostri augustissimo,
 Alumnorum Electoralium Inspectori
 gravissimo, totiusq; Academiae Se-
 niori devenerando.

Dn. MICHAELI VVENDELE-
RO, SS. Theol. Doctore, atq; Philo-
 sophiæ moralis Prof. Publ. meri-
 tissimo ac longè celeberrimo.

Dn. CHRISTIANO TRENTSCHIO
 Logices atq; primæ Philosophiæ
 Prof. Publ. dignissimo juxta ac lau-
 datissimo.

Dnn. Mecœnatibus, Patronis, Præceptoribus atq; Pro-
motoribus suis, summâ animi submissione & filiali
reverentiâ æternum colendis.

UT ET

Præ eximiis atq; Clarissimis

DN. M. JACOBO REYCHMANNEN/S.W.C. } Facult. Philos. Adjunctis
DN. M. JOHANNI DEWESCHMANNEN/ } & SS. Theol. Candidatis
DN. M. ÆGIDIO STRASSEN/ } dignissimis.

Præceptoribus itidem Fautoribus atq; Amicis
 suis plurimum dilectis atq; honorandis.

*Exercitium hocce Anthropologicum in grati animi Τευχηριον
 & ulterioris favoris οἰκουμενικον submissâ mente ac manu
 offert, dicat atq; consecrat.*

Paulus Philippus Röberus.



05 A 1940



DISPUTATIO
De
HOMINE.

Præloquium.

Natura divinitatis quoddam simulacrum est. Quocunq; nos flectimus, numen occurrens videmus. Omnia quæ fecit Deus, specula sapientie divinae sunt. Creare idem est, ac se pingere se in creaturis ostendere. Divisit autem munera sapiens creator, nec uni concessit omnia. Ut per minutas particulas cerneremus, quæ tota ac conjuncta absterrent hebetiorem obtutum. Ima linea simplicium corporum est: cæli, stellarum, & elementorum. His lapides, gemmas, atq; metalla adjicimus. Inanimis tota hæc classis est, & infima in universitate rerum. Inde viventia surgunt; herbae, frutices, arbores, cunctaq; majori officiosa vigore. Tanta hic amenitas, ut neglectus etiam ac sylvestris ille pratorum viror delectet. Ad hæc proximè accedunt sentientes natura: aves, pisces, gradientia, reptantia. Profundior hæc materies est, & fortasse nullibi major naturæ licentia. Immensa planities sciendi a viditatis dilatatur, dum infinita animantium genera

Ordo quartus intelligentibus tributus est: hunc humana occupat majestas. Super omnia nunc sese effert divinum animal, plenum rationis & consilij. Compendium passim sparse divinitatis videtur homo, unus omnia pulchra, omnia magna complectens. Ut non divisisse amplius, sed conjunctim atq; confertim ostendisse bona cuncta credatur sapiens creator. De hoc differere in nostrum induximus animum. Constabit in deliciis nos habuisse, habereq; Conditorem Optimum. Cui virtus, cui gloria, seculis nunquam terminandis.

Theses.

I. Nihil præstantius terra alit homine, nihil inter omnia quæ spirant dignitate hominem vincit. Hinc splendida accepit nomina, & titulos prægrandes, & quicquid tutari potest auctoritatem. Dei genus, Dei filius, Dei imago, Dei possessio, ac Deus terrenus vocatur. Aliis mundi miraculum, mundi heros, mundus parvus, mundus magnus, naturæ delicia, statua speciosissima, & vera effigies Philosophica, dicitur. Hæc gloriæ nostræ testimonia amplissima.

II. Sed quæ magna sunt, magnis etiam implicantur malis. Nihil tam excelsum, in quod non irruant quandoque procellæ. Hinc non una vox omnium de homine, neq; una mens est. Appellatur etiam flos agri, manè surgens, vesperi decidens. Fœnum, quod eadem horâ viret, aret, ardet. Pomum, quod foris rubet, intus putet. Pictura, quæ molli spongiâ deleri potest. Custos nocturnus, citò de statione avocandus. Domus ruinosa, quam varij di-

tuunt

ruunt casus, momento quovis. Umbra, quæ facile perit, & dum est, in eodem statu non est. Bulla, quæ dum nascitur, evanescit. Nihil, qui ex nihilo venit, in nihilum abit, & nihil est, dum est. Sic gloria nostra nec solida, nec sempiterna.

III. Definitio hominis est brevissima & absolutissima. Homo est animal rationale. Animal, quia sentit. Rationale, quia intelligit. Non audiendus Cardanus, qui negat, hominem animale esse. *Homo, inquit, non plus est animal, quam animal planta. Si enim animal quamvis nutriatur & vivat, planta nomen non meretur, nec omninò planta est, quia animam quâ sentit habet præter plantam: homo cum præter animal mentem habeat, desinit esse animal.* Sed confundit brutum cum animali. Brutum & homo sunt duæ distinctæ species: sicut etiam brutum & planta. Hinc homo non est brutum, nec brutum est planta. Animal verò homini & bruto commune est, nihil aliud notans, quam corpus animatum sentiens. Nunc applicatio fiat ad hominem. Corpus est: animatum est: sentiens est.

IV. Neque audiendi, qui hominem definiunt, animal rationale bipes. Platonem ajunt, hominem definiisse; animal bipes inplume. Diogenem id audivisse, & in scholam Platonis gallinam deplumatam proiecisse. His quidem verbis: En hominem Platonicum! Platonem verò correxisse definitionem, unâ adjectâ voculâ. Homo est animal naturâ inplume. Si vera hæc, miramur heroes errasse in minimis. Tantò minus credendum, nunquam & nusquam errasse antiquos. Pedes non ad essentiam, sed ad integritatem faciunt. Cavendum ergò, ne definitioni inferantur, quæ essentiam exprimit. Inplume cum neget, nec essentiam, nec integritatem explicat. Resecandum ergò hoc

superfluum. nec unum juxta bonum duo ponenda mala.

V. Solum rationale animali additum hominem constituit, eumque ab omnibus animalium speciebus distinguit. Petitur à formâ hominis specificâ, animâ nempe rationali. Hæc homini dat essentiam, dat differentiam, dat operationes. Hinc ea definitionis perfectio, quia non accidentia communia, non propria, sed ipsam formam, quæ dat esse rei, exhibet. Descriptiones sunt, quæ à propriis, aut accidentium communium collectione, petuntur. Quod si observarent Traductores nostri, tandem à pravis opinionibus, quas ab aliis ad se transmissas acceperunt, traducerentur.

VI. Dividitur homo in animam Rationalem & Corpus humanum. Ex harum enim partium conjunctione homo constituitur, & ex earum solutione tollitur. Hæc corporum naturalium ratio est, ut substantia substantiam intret, & ex utraque fiat unum. Ingreditur forma materiam, eamque totam implet, ut inde surgat compositum. Permeat anima rationalis corpus humanum, substantia substantiam, ut homo fiat ex duabus istis partibus. Ordine formationem hominis describit codex sacer. *Formavit Dominus Deus hominem de limo terra, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitarum, & factus est homo vivus.* Hæc ea duo principia, hæc illæ partes duæ. Una pars è terrâ formata: altera ex inspiratione data. Sic homo constitutus ex corpore humano, & animâ rationali.

VII. Plato ab hominis natura corpus excludit. Solam animam pro homine habet: corpus autem pro instrumento, quò utatur. Introducit Socratem & Alcibiadem, colloquentes his verbis. SOC. *Quid est igitur homo?* AL. *Ignoro,* SOC. *Scis esse quod corpore utitur.* AL. *Scio,* SOC. *Aliud*

ne

ne ipso utitur, quàm animà? AL. Nil aliud. SOC. annon imperans? AL. Imperans. SOC. Quin etiã neminem hoc aliter estimaturum puto AL. Quidnam? SOC. Quin ex tribus unum aliquid homo sit. AL. Ex quibus? SOC. Aut anima videlicet, aut corpus, aut totum ipsum ex utrisq; compositum. ALC. Quidni SO. Verum tamen id quod imperat corpori hominem esse confessi sumus. AL. Confessi sumus. SO. Quid igitur homo? Num sibi ipse corpus imperat? ALC. Nullo modo. SOC. Subjici enim illud diximus. AL. Certè. SOC. Non est igitur hoc quod querimus. AL. Non ut videtur. SO. At utrumq; forsitan simul corpori dominatur, atq; id homo est. AL. Fortè. SOC. Imò minimè omnium: nam altero illorum non dominante, nulla conjectura est, ut simul utrumq; dominetur. ALC. Rectè loqueris. SO. Cum verò nec corpus, nec simul utrumq; sit homo, restat ut arbitror, aut nihil omninò hominem esse, aut si quid est, nihil aliud, quàm animam esse. ALC. Prorsus.

VIII. Eò adegit Virum animæ excellentia, ut crederet, corpus hominis instrumentum esse, partem non esse. Quæ & olim Pythagoræ erat opinio; non informari corpus ab animà: sed corpore animam uti, tanquam instrumento. Acutè ad hæc Scaliger ait: *Sanè hunc ad modum corpus ipsum nihil hominis est: nisi tanquam possessoris: vel ut equus aut malleus, militis aut fabri.* Ordinata est anima nostra ad corpus informandum. Hoc ejus munus est, hic status naturalis est. Ipse creator corpori primi hominis eam indidit, & sic factus est homo vivus. Non igitur unitur cum corpore extrinsecè, ut citharædus cum citharâ, equus cum milite, faber cum malleo. Interna unio est, quâ compositum fit, quâ ens per se fit, quâ una essentia fit. Abutuntur vocè instrumenti, quot quot corpus animæ instrumentum dicunt. Propter similitudinem id fit, non ob rei veritatem, ac naturam internam.

Exerc.!!
307. f. 14.

IX. Alij

... numerum augent, ac tres homini partes tribuunt: animam, Corpus & Spiritum. Corpus, dicunt, habentis ex elementis conflatum, æque ut bruta; Spiritum habemus è spiritu mundi, æquè ut alia: sed anima, seu mens, ex Deo est, Illud circumferimus mortale, illum dissipabilem, hanc, verò persistentem etiam extra corpus. Hominem igitur dum vides, Regem te videre cogita, regiè vestitum, & in regio residentem solio. Rex enim mens est, vestitus ejus Spiritus, solium Corpus. Sed tertiam illam, five hominis, five aliorum corporum, partem tacet scriptura, tacet Natura. His tacentibus, tacendum etiam Physico. Inde enim omnis nostra scientia: cætera cerebri humani figmenta sunt. Sufficiunt ad corpus constituendum, materia & forma. Alterum passivum, alterum activum principium est. Et Scriptura in sede propria tantum homini corpus tribuit & animam, Spiritum ubi superaddit, non partem essentialem, sed respectum accidentalem infert.

X. Nunc seorsim dicendum de Animà, & de Corpore. Anima est forma hominis, quæ est, intelligit, & vult. Non absolutè, ratione naturæ suæ: sed respectivè, in ordine ad hominem, consideranda anima. Sic forma est, quæ homini dat essentiam, & operationes. Per animam rationalem homines sumus: sicut per irrationalem animam bruta sunt. Per eandem animam intelligimus ac volumus: sicut canes per caninam latrant, equi per equinam hinnunt. Tunc nostrum opus agimus, cum verum intelligimus, cum bonum volumus. Non cum aramus, cum opes convasamus, cum aureo poculo bibimus, cum lecto precioso incumbimus.

Jacobus
Lib. 9. c. 1.

XI. Sunt qui hoc modo Animam rationalem definiunt. Anima rationalis est actus substantialis corporis
orga-

organici, spiritualis, & immortalis, quo intelligimus & volumus. Accuratam hanc esse definitionem scribunt, factam partim per ea, quæ esse animæ rationalis absolutum attinent; partim per quædam quæ concernunt ejus esse respectivum, quatenus forma est. Plura vitia, quam verba dant. Non accuratè partes definiuntur, sed aliquo qualiter describuntur. Partem autem esse animam nostram, non ignorabunt. Neq; describenda anima à Physico, juxta esse absolutum. Suum cuiq; tribuendum, suum Physico, suum Pneumatico. Tantùm respectivè consideret animam Physicus, non partim respectivè, partim absolutè. Malè ergò diversi considerandi modi confunduntur, cum primis in definitione. Malè etiam Remotum genus datur pro proximo. Ipsimet formam definiunt per actum substantialem. Propior ergò forma erit: remotior actus. Malè etiam corpus organicum simpliciter pro subjecto anima, pro alterâ hominis essentiali parte, ponitur. Possunt mutari, augeri, minui, tolli organa, salvâ manente essentiâ. Non confundendum totum Essentiale, cum toto Integrali. In homine perfecto & essentia, & integritas est. In imperfecto essentia est, integritas non est. Unde Celeber. Dannhavverus ait: *Semen in utero conceptum est totum essentiale, id est, homo constans ex animâ & corpore: verum non integrale, quia desideratur adbuc partium organizatio.*

XII. Cæterùm innumerabiles quæstiones de animâ nostrâ esse, sapiens Seneca monet. Unde sit, qualis sit, quando esse incipiat, quàm diu sit: an aliunde aliò transeat, & domicilium mutet, ad alias animalium formas, aliasque conjecta, annon amplius quam semel serviat & emissa evagetur in toto: utrum corpus sit, an non sit: quid sit factura, cum per nos aliquid facere desierit: quo modo libertate suâ usura cum ex hac effugerit caveâ: an obliviscatur priorum

B

rum

Lib 8. Ep.
88.

...m, & illic nosse se incipiat, postquam de corpore abducta in sublime secessit. Nos ne copiâ quærendorum & tractandorum fatigemur, tantùm quæstiones duas dabimus. Altera erit, de numero animarum in homine; altera, de animæ humanæ origine.

*Anthrop.
Lib. 1. c. 1.
q. 1.*

XIII. Quæritur, an in homine tres sint animæ, an una tantùm? An Vegetativa, Sensitiva, & Rationalis, re differant, an ratione tantùm? An alia substantia in homine sit anima Vegetativa, alia Sensitiva, alia Rationalis? Reperimus, quæ aliàs ad quæsitum hoc dicta sunt. Tres distinctæ animæ tria distincta dant animata, tria distincta viva. Quod de homine asserere nefas. Et nonnè mors triplex metuenda nobis, si triplici constaremus animâ? Utenim distinctæ animæ distincta debetur vita: ita & distincta respondet mors. Illa fit per unionem; hæc per separationem. Separatâ ergò animâ rationali, mors prima dabitur. Et sic humanum peribit esse, salvo manente esse animali. Separatâ animâ sensitivâ mors dabitur secunda. Tunc peribit esse animale, salvo & integro esse vegetabili. Separatâ tandem animâ vegetativâ, mors tertia sequetur. Ubi demùm vera cadaveris erit ratio. Quæ absona è falsâ fluunt sententiâ. Maneant id quod habet Scaliger: Esset homo, non verus homo, sed verus Geryon, veraq; Chimæra, ac si quid aliud trinum triplexque ab Aufonio animadversum est.

*Ex. 2. 90. f.
2.*

*Ex. Met. l.
2. ex. 2. p.
§ 9.
Disp. de
Rat. libo.
14.*

XIV. Tuetur eandem sententiam D. Jacobus Martini. *In homine, inquit, non tres sunt anima, sive formæ, sed una est anima rationalis, quæ inferioribus quoq; illis, nempe sentiendi & vegetandi facultatibus prædita est. Unde rectè Scaliger exerc. 102. sect. 5. asserit, hominis animam regulam esse omnium viventium.* Alibi scribit. *Controvertitur, an in homine sint illa tres anima, vegetativa, sensitiva & intellectiva, realiter*

ter distincta. Respondeo breviter, differre quidem realiter
tenus in distinctis existunt subjectis, vegetativa in arboribus &
fruticibus, sensitiva in brutis, rationalis in homine: at in uno &
eodem subjecto consideratas, differre tantum subordinatione. Est
autem subordinatio triplex, 1. Causationis, ubi ordinantur cause
universales & particulares, principales & minus principales, vel
etiam fines inter sese. 2. Constitutionis, ut quando pars subordi-
natur toti, & tandem 3. Predicationis inter singularia & uni-
versalia. Juxta primam & alteram rationem, in quibus rea-
lis differentia subordinatorum esse potest, non subordinantur
tres ille animæ, sed juxta tertiam. Cum igitur juxta eam sub-
ordinata tantum ratione differant, etiam ratione tantum hæ tres
animæ in homine differunt, nec est nisi una anima rationalis, quæ
virtute ac eminenter reliquas complectitur.

XV. Obtrectator noster tres animas reipsa distin-
ctas homini tribuit: duas Materiales ac Mortales, Vegeta-
tivam & Sensitivam; unam Immaterialem & Immorta-
lem, Rationalem. Tria in massa seminali, inquit, disposi-
tionis momenta sese offerre; unum pro vita vegetativa, al-
terum pro sensitiva, tertium pro rationali sive intellectiva.
Hinc animarum dari successionem, quod foetus primò
habeat animam vegetantem, eamque accipiat, quando mate-
riæ dispositio ad eam habendam perducta sit, cum organa
animæ vegetativæ dicata constructa sint; post animam sen-
tientem, quam accipiat, cum materia ulterius disposita &
organorum quæ animæ sensitivæ subserviunt apparatus in-
structa sit; postremò rationalem, quando structura corpo-
ris absolutior facta, & fetus planè conformatus atque expres-
sus sit. Citat Aristotelem, statuentem vegetantem animam
primùm haberi, tempore procedente sensualem, tandem
extrinsecus accedere, rationalem. Fer rationes, quia sub-

*Inst. Phys.
l. 8. c. 8.
p. 685.*

XX. Quis & immaterialis realiter differunt : quia
ma vegetativa & inseparabilis sunt res alia & alia : quia
F. res materiales non decent animam rationalem :
quia sunt tres animæ species, quarum hæc non est illa, & il-
la non est hæc.

XVI. Sic ille, qui odisse veritatem mavult, quàm à
veritate vinci. Primò, verè homo essentiam habebit tri-
plicem juxta triplicem illam animam. Primùm plan-
tarum : post brutorum : tandem humanam. Fundatur e-
nim anima vegetativa distinctè sumpta in aliquà planta-
rum specie, & sensitiva in quadam specie brutorum.
Bruta fuimus, antequam homines : & plantæ, antequam
bruta. Nunc verò & plantæ, & bruta, & homines erimus.
Post mortem iterum, nunc bruta, nunc plantæ. Differit
in rem hanc egregiè Thumnius, inquiens : *Eva non conce-
pisset & peperisset Cainum ; sed plantam, vel animal brutum. Fœ-
tus erit quiddam πολύμορφον & plurium specierum, nempè præ-
sente vegetativâ essentia ejus erit planta : presente sentiente, erit
animans : presente intelligente demum erit homo : quæ tamen con-
fusio & multiplicatio specierum in uno individuo & singulari or-
dinariè fieri nequit.*

De Tr.
p. 88.

XVII. Secundò, ad primam originem si revocatur
res, patet vanitas. Si duas homo habet mortales, & unam
immortalem animam, unde Adamo duæ illæ mortales?
E pulvere terræ formatum est corpus exanime & inspiravit
Deus animam rationalem, immaterialem & immortalem.
Fortassis inspiratæ etiam sunt animæ mortales ac materia-
les. Aut Deo disponente pulverem, nunc quidem anima
vegetativa è potentiâ materiæ prodiit, nunc sensitiva. In-
spiravit igitur Deus animam in corpus sentiens, videns &
audiens. Hæc ea suavissima deliramenta ! Nollem ulte-
rius

Gen. 2. v. 7.

us progredi animum curiosum. Ut quæra
brutorum fundata fuerit illa Adami sensitiva
qua specie plantarum anima vegetativa ?

XVIII. Tertiò, ab origine ad interitum si nos ver-
timus, nova redit absurditas. Occidi potest corpus nostrum, *Luc. 12. v. 4*
occidi nequit anima. Non timendi, qui occidere possunt
corpus, animam nequeunt. Sed si duas habemus animas
mortales, quidni timendi? Occidere poterunt animas du-
as, unà tantùm superstite. Occidere poterunt corpus, oc-
cidere poterunt animam, primò vegetantem, secundò sen-
tientem. Quid occidit, qui canem occidit? Primò corpus,
secundò animam sentientem. Idem continget homini. Aut
non dicenda hominis anima, illa vegetativa, illa q; sensitiva.
Sed neq; corpus hominis dicentur. Ergo nihil hominis
erunt.

XIX. Quarto, tria dispositionis momenta, tria sunt
nugamenta. Organa quærit pro anima vegetativà, organa
pro anima sensitiva, organa pro anima rationali. Sed or-
ganica dispositio non ad animæ receptionem, conjunctio-
nem & conservationem: sed tantùm ad actiones nonnul-
las requiritur. Animæ enim effectus est, igitur ante ipsam
non datur. Et mutabilis est, manente anima: non ergò
requiritur ad animæ subjectum. Dispositio organica re-
quirit certam partium quantitatem, certum partium nu-
merum, certam partium figuram, & certum partium si-
tum. Omnia hæc mutari possunt ac solent, animà manen-
te. Non igitur requiruntur necessariò ad animæ cum cor-
pore conjunctionem. Anima autem rationalis quamnam
præ animà vegetativa ac sensitiva organorum requirit dis-
positionem? Organa omnia inspiciantur, naturalia, vita-
lia, & animalia, nullum propriè rationali animæ tributum
est. Frustra clangit: organa, organa.

B 3

XX. Quin-

Lib. 1. de
Vi. Rat.

Cetn.
Pascb C. 1.

ntò, falsum est primò formari organa ani-
dicata, secundò sensitiva, tertio rationali.
ortasus caput ultimò formatur, primò autem ventriculus
& intestina, hinc membrana, & sic deinceps. Rectè Hip-
pocrates: *Mibi quidem principium corporis videtur nullum esse:
sed omnia similiter principium, & omnia finis.* Hoc est. Mem-
brorum omnium formatio simul fit: non primùm partes
naturales, deinde vitales, deniq; animales, delineantur &
elaborantur. Non possumus, quin addamus egregia Felicis
Plateri verba. *Ego ejusmodi rejectum globuli rotundi & albi
instar magnitudine avellana, in quâdam quæ quotannis ferè, non
multis à conceptu diebus, abortiebat, vidi, atq; ex amnio tenui,
cui innatabat exemi, & cum ab invicem deducerem tres ejusmodi
bullas, quarum inferior jecoris rudimentum exprimens pallidior,
non tamen rubra erat, observavi, quatuorq; portiones pro brachi-
is & pedibus formandis, & quod spectatu jucundum, duo puncta
nigra minutissima, oculis dicata notavi. Quæ uti & in aliis sic
& in generosa quâdam, quæ toto ferè biennio, quod mirum & a-
lias inauditum, singulis mensibus abortiebat, sæpeq; ad me ejus-
modi abortum, ut quid esset indicarem trans mittebat, similiter
sic se habere, deprehendi.*

XXI. Sextò, anima cum corpore jungenda, non
organa, sed calidum innatum prærequirit. Tunc fœcun-
da sunt semina, cum calido innato constant. Hoc absen-
te nulla fœcunditas, nulla conjunctio animæ & corporis
fit. Rectè Aristoteles: *Omnis anima, sive virtus, sive potentia,
corpus aliud participare videtur, idq; magis divinum quam ea
quæ elementa vocantur. Verum prout nobilitate, ignobilitate vè
animæ inter se differunt, ita & naturæ ejus corporis differt, inest
enim in semine omnium, quod facit, ut fœcunda sint semina, vi-
delicet quod calor vocatur. Idq; non ignis non talis facultas ali-
qua est,*

2. de Ven.
anim. c. 3.

qua est, sed spiritus, qui in semine, spumosoq; corpore conti-
natura qua in eo spiritu est, proportione respondens elemento stel-
larum. Sufficit igitur ad animæ, quæcunq; ea fuerit, cum
corpore conjunctionem, calidum innatum aut spiritus
insitus.

XXII. Septimò, quemadmodum ab Aristotelis do-
ctrina non recedendum præter rationem; ita eadem non
defendenda contra rationem. Jussit nos Aristoteles, verita-
tem præferre, atq; ut hæc salva sit, & amicorum, & præcepto-
torum, & nostra propria dogmata deserere. Si nunc hanc,
nunc istam, nunc aliam, uni homini tribuit animam, no-
strum non est errori patrocinari, ne decedat aliquid ejus
autoritati. Optemus cum Zabarella contra Zabarellam,
ut philosophos habeamus, qui rerum naturas scrutando
philosophentur, non qui verbis Aristotelis addicti ad ea
res ipsas accommodent, nil aliud quærentes quam quid
dicat Aristoteles, neq; aliundè quàm ex ipsius verbis argu-
menta sumentes. Dicamus cum Commentatore Diosc. Vir-
gilio: *Artes & scintilla luna ad instar quotidianis accessioni-
bus sunt majores. Quamobrem nullibi minus quàm in his ve-
tustatis majorumq; fama ratio habenda. Secus sifiat, peribit id,
quo uno hæctenus steterunt & indies meliorem scunt disciplina o-
mnes.*

*De prop.
nec. l. 2. c.
ult.*

XXIII. Octavò, rationes tantæ non sunt, ut falsam
defendere nos cogant sententiam. Non est in nostra ani-
mâ aliquid materiale, mortale, & corruptibile. Si non
differt re anima sensitiva aut vegetativâ in homine à ratio-
nali, ubi materiale istud, aut mortale & corruptibile? Equè
in homine immortalis est Vegetativa & Sensitiva, ac Ratio-
nalis. Neq; in nostrâ animâ aliquid est inseparabile. Homo
cùm moritur, non separatur anima rationalis, & manet im-
mersa

lateriæ sensitivæ, vel vegetativa. Hominem qui interficit, non occidit duas animas, & unam tantum occidere nequit. Operationes verò materiales, si non decent animam rationalem, ridebit homo per animam vegetativam aut sensitivam. Neq; loquentur nostri Calumniatores per rationalem animam, sed per eam quam cum brutis, cum cane aut lupo, habent communem. Credo equidem, quia cum ratione insaniunt, & ex calumniâ famam captant. Deniq;, non sunt in homine tres animæ species. Foret enim tergeminus Geryon. Quin ne in brutis quidem aut plantis, anima vegetativa & sensitiva species sunt. Dicat, subordinata non esse opposita, superius & inferius non esse species, non esse disparata,

XXIV. Veniendum ad secundam quæstionem, quanam animæ humanæ origo sit? Putant, eam a Deo immediatè creari & à parentibus cum corpore conjungi, post quadragesimum, sexagesimum, aut centesimum conceptionis diem. Plura facta, quam verba. Tertio demum mense, quo infans moveri incipit, animam rationalem corpus ingredi noster statuit Obtrektor. Hippocrati mares nõ agesimo, fæminæ vigesimo & centesimo die post conceptionem moventur. Jungenda igitur à parentibus anima erit, post conceptionis diem nonagesimum, aut centesimum vigesimum. Toties pugnatum contra sententiam hanc, toties vanitates monstratæ, ut verba repetere pigeat. Possemus rationibus, possemus scripturæ dictis, possemus è propriis istorum principiis, diluere asserta, sed super se debimus. Tantum è Disputatione quadam D. Jacobi Martini pauca dabimus: post Adversario absurditates suas monstrabimus.

XXV. Disputationis thesis trigesima pro generatione animæ humanæ, contra creationem, hæc est. *Quicunq;*
univocè

Instit.
p. 686.

univocè generant, eandem essentiam specificam formam dantur, & communicant. At parentes univocè generant. Ergò eandem essentiam specificam, formam sc. animam rationalem communicant. lib. 30. Majoris universalitatem nullà limitatione restringere possunt, quibus diversum est ad palatum. Si enim dicant, quosdam etiam generare, qui non communicent formam, sed tantum disponant materiam, & hoc modo se accipere minorem; respondeo, illam actionem nullo modo esse generationem. Quia, quicquid generat id sibi simile producit. At qui formam non dant, sibi simile non producant. consistit enim similitudo illa, de quà vobis sermo est, non tam in sexu aut lineamentis oris, quam similitudine seu potius identitate essentia ac forma. Ergò qui non dat formam, non generat, & p.c. si parentes non dant formam, animam rationalem, non generant, quod est absurdum. Porrò. Qui tantum preparant materiam, iis non adscribitur causalitas illa, quæ consistit in communicatione formæ, quæ est generatio. Accipit enim motus denominationem à termino, quem qui non attingit effectivè, ab eo non accipit denominationem causationis. At parentes tantum preparant materiam, & anima circiter diem quadragesimum formati membrum infundendo divinitus creatur, creandoq; infunditur. Ergò parentibus non est adscribenda causalitas, quæ consistit in communicatione formæ, quæ est generatio. Quod cum itidem est absurdum & injurium, vera erit sententia minoris contra dictoria quod parentes non tantum preparant materiam, sed communicent formam, & ab iis anima propagetur.

XXVI. Thesis trigesima prima est. Quibus est similis ac proportionata agendi virtus, hi etiam similiter agunt & proportionaliter. Mensuratur enim actio virtute agentis. Homi- nibus & brutis similis est & proportionata sese multiplicandi vir- tus. Ergò homines & bruta similiter sese multiplicant. Minorem probo. Quando enim Deus ter O. M. eandem actionis formam ge-
C minavit

in homine & bruto, dicens utriq; Crescite & multiplicamini, apparet evidentissime eundem in utraq; specie pro utriusvis dignitate actionis & benedictionis effectum esse secutum. Si dicas, non esse secutum: dicis aut Deum non potuisse, quod voluit, effectum dare, aut mutasse factum, quod utrumq; in divinam omnipotentiam veritatem & constantiam injuriam est ac blasphemum, dictu audituq; horrendum. Similis igitur proportionaliter utriq; speciei est virtus, ac proinde sicut sese multiplicant animalia bruta ita etiam homines. Atqui animalia bruta sese multiplicant gignendo totum foetum corpore & animâ constantem. Ergo homines sese multiplicant gignendo totum hominem & p. c. anima proles humana à parentibus ut Traduce propagatur.

XXVII. Cætera transcurramus & ad absurda nostri Obrectatoris nos vertimus. Illud videndum, quid parentibus tribuat, quibus ipse gloriosus Deus generationis opus concessit. Tribuit, aut nihil, aut parum admodum. Quod ipse Deus dedit, hic tollit: quod dixit Deus, hic negat. Dicit, animam à Deo creari, & à parentibus cum corpore uniri. Falsum & absurdum est, non producere, sed unire tantum animam parentes. Causa quæ activum passivo tantum applicat, non est Physica, sed Moralis. Moralis igitur filiorum suorum causa parentes erunt, non naturalis. D. Dannhavverus ait: *Quæ causa plus non præstat, quàm ut naturalia activa passivis applicet, ea causa non est naturalis, sed moralis. At per te pater tantum uniri, non producit. Ergo pater non est causa naturalis sui filij. παράδοξον.* At nihil tam ineptum, nihil tam absurdum, quod non defensitare conetur obrectator. Non illud παράδοξον, sed ἐνδοξον, sed ἀποδείξις est. Quanquam creet Deus animam, ait, tamen nihilominus parentes rectè generare dicuntur filios, ut causa moralis. Gratulamur hisce Patribus Moralibus. Suarez ait: *Causa moralis dicitur de illà causà, quæ per se non verè efficit, moraliter tamen ita se gerit, ut ei imputetur effectus.* Neq; alia causæ mora-

moralis cum Naturali opponitur ratio est. Fia applicatio.
Hi patres non agunt, hi patres ita se gerunt ut impu-
ntur istis filij. Judicent cordati, an rectè generare dicatur, qui
verè non agit? An sibi simile producat, cui effectus tantum
imputatur? An naturalem suam potentiam exerceat, qui
verè nihil efficit? An fundamentum paternitatis sit, filio-
rum imputatio? Hi sunt illi nostri Traductores!

XXVIII. At nondum malorum finis est. Quæren-
dum amplius de Patre, an possit unire animam filii sui cum
corpore? Dicit ille noster, in eo difficultatem esse, quod-
nam sit uniens: quosdam semen afferre, quosdam animam
generantis, quosdam Deum: medios melius sentire, non
quidem patris, sed matris animam, unionem illam effice-
re. En iterum & sæpius Patres non patres! Non sunt Patres na-
turales, quia non producant, sed uniunt tantum animam.
Non sunt patres morales, quia ne quidem uniunt. Creatur
anima eo tempore, quo infans moveri incipit, juxta novis-
simum mundi & naturæ interpretem. Motus hic fit in ma-
ribus nonagesimo, in feminis centesimo & vigesimo die.
Non erat integrum patri isthic loci morari, & animæ ad-
ventum expectare. Eximitur igitur servitio hoc, & excludi-
tur à generationis opere. Atq; hi illi Patres non patres.
*Generatio, inquit, formaliter est actio ea, quæ in unionem, seu
actu unientis, quo forma & materia conjunguntur, consistit.*
Subsumat & concludat. Pater non generat, quia id non præ-
stat, in quo generationis natura consistit. *Generatio ait, in
introductione formæ posita est, & fit à generante, cujus est, for-
mam in materiam introducere, eiq; unire.* Concludat denuò.
Pater id non agit, formam non introducit, formam non u-
nit. Non igitur generat, non suum tutatur locum. Damus
iterum quod toties dedimus. O patres impotentes! O filios
infeli-

nis patris. Orbantur filij patribus, orbantur patres filiis. Pa-
ter enim vox est: filius vero *ἀπ' αἵματος*.

XXIX. Sed miranda hominis industria est, miranda sagacitas. Potest alia aliis insuper cumulare, & rei dare lucem, qualem fatui ignes, qui noctu discursantes viatorem in precipitium agunt. Audiamus ipsum, cum nil nisi suave & elaboratum obferat. *Nec obstat, hoc pacto negari maribus vim generativam, quia nunquam illam possunt exercere. Resp. Vis illa maribus non denegatur, nec ratio addita id evincit. Id quod sic ostenditur. Anima maris & feminae sunt ejusdem speciei, & omninò similes in substantiâ; nec anima ex se petit corpus masculinum potius, quam foemininum, aut contrâ, sed est indifferens ad utrumq;.* Quod si anima maris esset applicata foetui in corpore foemineo, illum efficeret. Itaq; ex se virtutem habet, illum efficiendi: sed per accidens impeditur corpore impote applicationis. Vel dicatur, marem habere virtutem activam, eam tamen non posse exercere secundum omnes suos effectus, sed secundum aliquos. Nec opus est, exercere potentiam in omnibus actibus & in omnibus individuis, sed sufficit si in aliquibus exerceatur. Nec otatur potentia, quia & aliqua efficit, & in aliis individuis alios exercet actus. At esse potentiam in utroq; sexu patet, quia uterq; est ejusdem speciei. Quod autem non eodem modo in omnibus exercetur individuis, est ex conditione individuali; conditio autem individualis non prejudicat speciei. Tantum.

XXX. Major hominis benignitas est, quàm facultas. Cui non ad palatum est responsum unum, dat alterum. Sic è duobus malis eligere poterit, quod minus tale. Sed de patre cum sermo est, non ad vim generandi, non ad potentiam, sed ad factum respiciendum. Fundamentum proximum paternitatis, non est vis generatrix, sed ipsa generatio, ipsa actio. Alias puer esset pater, infans esset pater, foetus in utero esset pater. Ex actu judicandum de patre, & de fundamentum.

damento relationis, quâ pater refertur ad filium. N
pater, qui non generat. Non autem generat, quia man
non introducit, qui animam corpori non uuit. Estis igitur
patres non patres. Sanè, non potestis patribus, non potestis
maribus, denegare vim generandi. Actionem autem nega-
tis, quæ vim illam sequitur, & quæ paternitatis fundamen-
tum est. Facultates certè natura non frustrà dedit: nutrix
ob nutritionem data, auctrix ob augmentationem, & gene-
ratrix ob generationem. Si à nullo masculino in actum dedu-
ci potest vis generatrix, frustrà à naturâ data est. At nihil
frustra dat natura, quod toties, monente Scaligero, à præ-
ceptore dictum fuit, ut citare loca, vel sit jactatio, vel super-
stitio. Sed mas per accidens, ait, impeditur corpore impote
applicationis. Deslenda nunc misera marium fors est,
qui corpore impote generare nequeunt. Accusanda gra-
viter naturæ iniquitas, quæ toti sexui masculino dedit facul-
tatem, non dedit corpus compos. Fæminæ potentes sunt, vi-
ri impotentes. Reliquum forsân, ne quid dicamus, aut fa-
ciamus contra potentes. Non possent pejore loco res nostræ
esse, quàm in quò nunc sitæ sunt. Non mihi tam acris obtu-
tus est, ut qua lege respectus, honor, & observantia, his pa-
tribus competat, perspectem. Nisi tanquam Patribus Curæ,
non Naturæ. Non opus esse scribit, exerceri potentiam in
omnibus actibus, & in omnibus individuis. Sit non opus.
Sed nulli individuo totius sexus masculini tribuit actum il-
lum, in quo consistit generationis natura. Omnes masculi
habent corpus impos applicationis & generationis. Faculta-
tè generandi habent, sed id in quo consistit formaliter gene-
rationis ratio non habent, Profectò injurius in naturam
est, injurius in mares. His impotentiam, illi invidiam
tribuit.

XXXI. Ad Corpus nos convertimus, alteram homi-
nis

tem. Corpus humanum est materia hominis, eleganter & artificiosè ad varias operationes edendas constructa. Ut anima per formam, sic corpus per materiam describitur. His enim partibus hominis essentia absolvitur. Materia hæc eleganter & artificiosè ad varias operationes edendas constructa dicitur. Tam verè id dictum, ut nulla lingua effari satis divinum illud artificium possit. Prostat caput cælo proximum, sensuum ac rationis arx suprema. In hoc facies venerabilis est, soli homini propria. Hæc pulchritudinis, hæc amoris sedes est. In hac frontem, oculos, aures, nares, genas, aliâq; cernimus. In fronte majestas est: hæc candoris, hæc hilaritatis, hæc clementiæ & severitatis index est. Sub fronte sese iactant oculi, ex orbibus suis prominentes. Pufillo membro tam multas natura parens conclusit partes, tunicas, humores, nervos, venas, arterias, & musculos, ut non parca, non liberalis, sed prodiga videatur. Sub oculis patulæ nares, interstitio cartilagineo divisæ, prominent. Ad latus aures extant, semicircularè referentes figuram, modis nō unis excavatam. Sub naribus os extat, & labra coitu decenti commissa. Sub ore mentum est, & utrinq; ad latera genæ. Omnia tāta formata sunt industriâ, ut nihil mōstrari, nihil cogitari queat elegantius. Totum verò caput absq; onere interventu colli pulcherrimè cohæret pectori. Hinc guttur, mammillæ, mucronata cartilago, costæ, scapulæ, & spina, movent animos. Hic animæ sedes est, hic fons vivifici nectaris est, hic ignis cælestis est, quem Prometheus è cælo furatum fingunt. Sub his abdomen eminent, ubi lumbi, umbilicus, ventriculus, intestina, & cætera. Hic membra sunt, quibus ad necessitatem homo uti poterat honestè, sed ad voluptatem utitur perversè, Extenduntur etiam brachia, in medio curvabilia, ad quodlibet opus idonea. Ubi manus conspicua nobile membrum, cujus industria plus homini confert,

confert, quam tauris robur, apris dentes, equis ungula.
Quinque eam claudunt digiti, veluti in aciem dispositi. His
scribimus, his ædificamus, his pingendi ac sculpendi artes
exercemus. Ad pedes denique si devolvimur, datur femur, ti-
bia, mola, poples, & pes parvus. In hoc digiti prostant, non
minus decenti ordine locati. Primus longitudine & crassi-
tate major cæteris est; reliqui sequuntur ordine suo, ut no-
visimus omnium, brevissimus sit ac tenuissimus. Adeo
verè dictum, eleganter & artificiosè ad varias operationes
edendas constructum esse nostrum corpus!

XXXII. Longissima foret disputatio, exponere om-
nia si ingrederemur. Finem faciamus, si causam efficien-
tem dederimus. Diu quæsitum est, quodnam illud princi-
pium sit, à quo foetus in utero primò delineetur, post elaboretur,
denique perficiatur? Quænam illa causa sit, à quâ
partium omnium magnitudo, figura, numerus, situs, con-
nexus, & cætera, orientur. Gallenus sæpius se investigasse
ait, ἀντιὰ λόγον ἰχυρόν ἐπὶ ταῖς τῶν ζώων κατασκευαῖς, validam
aliquam rationem de viventium structurâ invenire potue-
rit, sed nullam invenisse, & εἰ δ' ἄχει τῶ πιθανῶ, non usque ad
aliquid probabile pervenire potuisse. Rogat hinc omnes sui
seculi Philosophos, εἰ τισοφὸν εὐρίσκειεν, si quid veri invene-
rint, id sine invidiâ secum communicent. Communis o-
pinio cuidam δυνάμει πλαστικῇ negotium attribuit. Sed quid
sit hæc ipsa vis plastica æquè illis obscurum, ac quid partes
formet. Procedendum nobis videtur hunc in modum. A
Deo glorioso habemus & animam & corpus, sed non pro-
ximè, non immediatè. In generationis enim versamur viâ,
non creationis. Et unde monstra essent, cum vel terror præ-
stat ut matrem conterreat infans? A patre habemus for-
mam, habemus materiam, sed non elaboratum corpus. Nec
patre operosior mater, quanquam det insuper sanguinem
ac spi-

atque spiritus. Generant parentes, sed non formant: sicut nec gallus, nec gallina, pulli partes efficiunt. Calidum innatum concurrit, concurrit etiam calorignis, sed per modum instrumenti. Ut in nutritione, ut in augmentatione, ut in generatione, non primariae sunt causae; ita nec in tam divini operis formatione. Vis formatrix altius pensitata accidens est, sicut vis nutrix, vis auctrix, vis generatrix, vis coactrix, vis retentrix. At nullum accidens agit, nisi per vim suae substantiae. Haec substantia jam, quanam alia, quam anima? Quanam alia, quam quae nato atque perfecto homine format dentium numerum, magnitudinem, figuram? Quanam alia, quam quae in nobismet omnibus ex sanguine carnem format? Quanam alia, quam quae ulcera curat, & amissam carnem cutemque reparat? Ubi idem effectus, ibi idem principium, eadem causa efficiens. Hinc Aristoteles conceptus animalium non minus vivere ait, quam stirpes. Hinc feminibus inesse scribit ἡ δὲ ποιητικὴ τὴν ἀρχὴν κοινῶσαν, τὴν δυνάμιν ποιεῖσαν. Hinc, teste Hoffmanno, semini toties tribuit actum, ut hominis sit valde imperiti, urgere tantum loca illa, quibus δυνάμει, ait esse. Obtrectator noster formationis opus calido innato seu spiritui insito adscribit. Et de hoc Aristotelem pronunciare ait, quod sit aer calidus. Mirissimum artificem! Aer calidus formavit hominis artus! Levisimum opus levisimae causae. Aer sive calidus, sive frigidus, aequè ad patiens, aequè ad materiam referendus, ac ignis aut aqua. Is ipse quoque rectore opus habet, quo sine temerè & jactabit & jactabitur. Sed non dignum rude dogma quod tractetur. Sicut pleraque hominis indigna responso. Exerceat linguam infelicem, habebit admiratores. Exerat dentes, citius eos confringet, quam imprimet.

F I N I S.

05 A 1940

ULB Halle 3
003 785 211



Wörter

ed.







DISPUTATIO PHY. *ca.*
De
H O M I N E.

Quam
DEO JUVANTE
In Patria Academia
SUB PRÆSIDIO
V I R I
Praclarissimi Amplissimi atq; Excellentissimi
DN. JOHANNIS Sperlings/
Physici Longe Celebratissimi, nec non Amplis-
simi Collegij Philosophici hodie Decani ma-
xime Spectabilis.

Dn. Præceptoris, Patroni ac Promotoris sui
prono pectoris adfectu æternum observandi,
colendi, honorandi.

Publica Placidaq; Eruditorum
οὐκίησες exhibet

PAULUS PHILIPPUS RÖBERUS

Wittebergâ-Saxo.

Ad diem XXVIII. Martij.

In Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.

ANNO *cl* *lxc* *LV.*

55.
*Johanni Haberland Scholæ W
Senat. Rect. dignissimo.*